

gum spectat, id tamen fit praesuppositiue, et per modum praeparationis. Mens enim humana per comprehensionem Theologiae naturalis, ab erroribus et vitiis grandioribus, quae ob corruptionem humanae naturae homini facilius adhaerent, liberatur, vt adeo postea reuelata scientia in intellectu eius locum promptius inuenire possit. De qua Theologia naturali in loco de DEO plura dicemus.

*Gentilis
Theolog.
triplex.*

§. 3. *Gentilis* Theologia notitia est rerum diuinarum ex ratione et natura descendens. Ea secundum *Augustinum* triplex est,

- I. *Naturalis* seu *physica*, quam nempe Philosophi ex rationis principio excoluerunt.
- II. *Fabularis* seu *mythica*, quae sub fabularum inuolucris notitiam de rebus diuinis, et iis, quae, vel ad naturam, vel mores spectant, proponit, qualis apud Poetas conspicitur.
- III. *Politica* seu *ciuilis*, quae in rebus quibuslibet publicis ex antiqua consuetudine obtinuit. Haec omnium corruptissima fuit, omnis foedae ac crassae idololatriae mater, potestque comparari cum Pontificiorum Theologia, quae in singulis vrbibus admittit sanctos, quos venerantur, quanquam nec ceteros reiiciant, qui alibi coluntur.

*Autores Na-
turalis Theo-
logiae.*

§. 4. *Naturalem* gentilium Theologiam omnium purissime tradiderunt *Pythagorei*. Lectu dignissimus liber *HIEROCLIS* ad aurea *PYTHAGORAE* Carmi.